



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

13. Vltimum principale argumentum ponitur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95871](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95871)

Quaest. II. In quo consistat actus liber Dei. 337

Sacramenta, & de possibili in homine contritio; cui Deus nolle remittere peccatum; quod facere posse clarissimum est; quia contritio secundum concilium Tridentinum, *cap. de iustificat.* non est ipsa iustificatio, neque inundatio à peccato; sed solum dispositio ad hoc, ut per gratiam habitalem sanctificetur anima; ratione cuius remittatur peccatum à Deo; unde contritio; & remissio peccati duo sunt realiter distincta, ac proinde separabilia à Deo divinitus: supponamus ergo quod separantur; quia possibili absolute, ac simpliciter sine aliquo impedimento posito in actu nullum sequitur inconveniens: tunc ergo manet homo peccator; & in peccato, non obstante retractione illius.

248 Item è contrario state possent illa duo, scilicet peccasse & non retractasse per contritionem veram, & nihilominus auferri ab homine peccatum, seu esse in peccato; nam in lege veteri, vel naturæ vere dici poterat esse in peccato includere hæc duo, commississe peccatum, & non retractasse illud per contritionem: imo etiam cum illis converti: & nihilominus non recte diceretur formaliter in illis consistere hoc quod est esse in peccato, quia videmus nunc aliquem, qui peccatum commisit; & per contritionem non retractavit; iam non esse in peccato, quia alia via remissionem illius consequutus est, utique per attritionem cum Sacramento; unde neque nunc etiam formaliter dici potest esse peccatorem, seu esse in peccato consistere formaliter in peccasse, & non retractasse saltem per attritionem supernaturalem, quia posset Deus sine tam perfecta attritione, imo sine vlla remittere peccatum de potentia absoluta, saltem per infusionem habitus.

249 Nam talis attritio, seu retractatio potest esse per actum meræ naturæ, ut patet in statu puræ naturæ, & simili actu posset nunc Deus esse contentus, si voluisset; non videtur autem verisimile actum vere naturalem esse conditionem à Deo necessariam ad effectum supernaturalem, vel inherens gratiæ vel gratuita remissionis offensæ divinæ, præcipue cum ille actus etiam nunc requiratur ut coexistens remissioni peccati; sed sufficit præcessisse ut patet in eo, qui antea attritus, postea iustificatur dormiens, vel amens: at vero attritio, quæ præterit, nullo modo abstat, vel diminuit peccatum habituale permanens, sed solum acceptione dei reliquit animam præparatam ad remissionem peccati per Sacramentum recipiendam; quam nunc præbet media gratia ex divina institutione, & posset deus illam præstare, etiam sine habitu gratiæ; ergo etiam sine illo præterito actu, cum nullam mutationem permanentem in anima fecerit quæ sit causa formalis talis remissionis, sed solum fuerit veluti quædam conditio prævia ad hoc ut Deus introducat quasi formam moralem remissionis peccati, quo destruat peccatum; sed deus potest formam, quam introducit, præcurre dispositione introducere per potentiam absolutam, sine vlla prævia dispositione, v. g. potest deus formam ignis nullo præcedente calore introducere in lignum suspendendo concursus, quo conservabat formam ligni in materia; ergo deus potest remittere peccatum sine actu peccatoris retractante peccatum per potentiam dei absolutam, qui quasi conditio prævia est ad talem remissionem.

250 Quod vero additur de retractione eminenti, & in solo nomine consistit, quia re vera per habitus nulla sit retractatio; & est quædam petitio principij: nam hoc, quod est esse in peccato,

I. P. Tom. II.

re definitur; addendo sub distinctione tales negationes, quæ non possint auferri sine mutatione physica, & ita conficta est descriptio ex privata opinione, non vero est vel ratione privata, vel ex communi consensu, vel modo concipiendi desumpta.

SUBSECTIO XIII.

Ultimum principale argumentum ponitur.

251 **Q**uia tota ratio quare adversarij asserunt, requiri mutationem physicam intrinsecam in peccato ad condonationem, & remissionem peccati, est quia non potest dari actus voluntatis divinæ terminatus ad creaturam quicunque ille sit, sine sit remittens, sive prædestinans, cui non respondeat physica, & intrinseca mutatio in creatura, ad quam terminatur talis actus, sed ad remittendum peccatum veniale, & peccatum originale, nõ est necessaria mutatio intrinseca in peccatore, & talis remissio est decretum liberum Dei terminatum ad remittendam talem culpam: ergo iam decretum liberum Dei potest salvari sine mutatione intrinseca: De peccato originali fatetur ipse P. Vazq. qui maxime solet hoc argumentum virgere; nam ipse asserit; Deum posse tollere debitum habendi gratiam in homine peccante originaliter sine aliqua mutatione physica; ablato autem tali debito, manet solum moralitas, quæ sine mutatione physica potest tolli.

252 Minor illa quoad peccatum veniale sic probatur, quia peccatum veniale de facto remittitur sine forma naturæ suâ impossibili cum illo, utique per gratiam, & attritionem, quæ sigillatim, & simul sunt naturæ suæ composibiles cum peccato veniali; & ideo hinc colligimus manifeste, posse Deum solum facere, quod cum illis formis facere potest; tum quia sicut illæ formæ sunt de se insufficientes, ita non sunt essentialiter necessariae, tum etiam quia facta tota illa mutatione Physica adhuc peccatum veniale integrum perseverat; nisi deus velit illud remittere, ac proinde voluntas dei erit ad hoc sufficiens, si velit sola id facere, tum denique quia sicut supra argumentabar, posse deum facere cum sola gratia, vel cum sola attritione, quod potest facere cum utraque simul, quia sicut vnaquæque per se est insufficientis forma, ita & utraque simul, ideoque non est difficilius Deo vincere per pauca, quam per multa Ita nunc argumentamur, sicut deus potest remittere peccatum veniale cum vna mutatione physica de se insufficiente, ita etiam posse illud remittere sine aliqua tali mutatione; quia quando causa secunda talis est, non est difficilius deo sine illa quam cum illa facere quod vult: unde probatio de remissione peccati venialis efficacior est, quam de peccato mortali, nam peccatum mortale de facto nunquam remittitur sine infusione alicuius formæ naturæ suæ impossibilis cum ipso peccato mortali, & ideo ex effectibus non possumus tam efficaciter colligere, an possit peccatum mortale de potentia absoluta remitti sine tali firma, vel omnino sine tali mutatione physica: at vero peccatum veniale de facto remittitur sine forma à natura sua impossibili cum illo solum quia deus sic voluit: ergo etiam potuit velle deus sine illa forma totaliter remittere peccatum.

253 Et ratio à priori est, quia voluntas divina propter suam infinitam eminentiam potest facere in tempore per suum actum æternum, & sine

V V muta

mutatione sui quidquid ad extra fieri potest, siue physicum, siue morale; item potest facere quidquid potest facere homo per suos actus liberos, quod alias bonitati diuinæ non repugnat: potest ergo suas remittere iniurias, seu offensas prout voluerit multo facilius, quam homo possit.

254 Dices, in peccato actuali non solum inueniri rationem iniuriæ, seu offensæ diuinæ, sed etiam intrinsecam inordinationem, quatenus per peccatum recta ratio violatur, & natura ipsa rationalis deturpatur: ergo transacto peccato actuali, manet homo in peccato, non solum quia manet offensus Deo, & dignus odio illius, & consequenter dignus pœna propter iniuriam Deo factam, & non compensatam, sed etiam quia in se manet turpis, & dignus odeo, & pœna ratione actus contra rationem commissi, ita ut licet fingamus in peccato, non esse rationem iniuriæ contra Deum, sed solum illam maculam moralem contra dignitatem naturæ rationalis, quæ potest dici damnum, & iniuria contra illam, nihilominus intelligimus, talem hominem manere in peccato; at vero licet deus offensionem remittat suam, & consequenter per extrinsecam condonationem, auferre possit maculam, quatenus speciali modo reddebat peccatorem dignum odio Dei, non tamen videtur posse deum auferre maculam eiusdem peccati prout est contra rationem, & reddit hominem turpem, & dignum odio abominationis, non ex peculiari ratione, & ordine ad deum, sed absolute & in se: ergo non potest radicitus tolli peccatum per condonationem extrinsecam, quia per extrinsecam condonationem solum potest remitti debitum pertinens ad eum, cui iniuria facta est; nam ea de causa potest illam remittere, & consequenter destruere, seu auferre illam deformitatem, quæ in iniuria dei fundatur, quod secus est de altera, quæ ex sola iniuria facta, seu ex noemento causato contra naturam rationalem relicta est.

255 Sed contra primo & concedamus, relinqui illam maculam ex eo quod ex vi peccati iniuriata, & deturpata sit natura rationalis, sed illa macula, utpote opposita enti naturali non consistit in priuatione gratiæ, sed in quadam moralitate positua opposita naturæ rationali, unde absolute, & simpliciter adæquate ens morale est, & moraliter perseverat, sed ut ex primo argumento patet, ens morale debet destitui per mutationem moralem, & non per mutationem physicam: ergo ad illam maculam destruendam solum sufficit mutatio moralis, & non mutatio intrinseca physica.

256 Deinde, ideo deus potest tollere per condonationem, & remissionem peccatum quatenus est iniuria Dei, quia cum deus habeat dominium circa suum honorem, est dominus illius iniuriæ, ac proinde potest condonare illam, sicut v.g. propter eandem rationem potest homo quidem remittere iniuriam contra se factam, quia est dominus sui honoris, qui læsus est per talem iniuriam: atqui deus est essentialiter Dominus, & habet necessarium, & essentialē dominium circa creaturas omnes, tam Angelicas, quam humanas quoad entitates illarum: ergo habet perfectum, & proprium dominium circa bona omnia illorum, quæ sunt accessoria ad tales entitates, quia accessorium sequitur principale, sed inter bona creaturæ intellectualis computatur honor: ergo habet perfectum, & proprium dominium vniuersalissimum circa honorem illarum, ac proinde ratione huius

vniuersalis, & perfecti dominij potest plenè, planè, ac perfectissime disponere de vita, entitate, & honore, seu fama talium creaturarum: ergo potest remittere iniuriam factam contra talem honorem, tanquam principalior creditor debitori contracti ex tali noemento, & iniuria facta contra talem naturam rationalem, nam ut est evidentissimum axioma qui potest & magis in vno genere, potest & minus in eodem & ubi est eadem ratio formalis, est idem effectus, vel quasi effectus formalis; sed deus potest remittere iniuriam propriam quod est magis: ergo potest remittere iniuriam suæ creaturæ quod est minus, & quia est dominus honoris proprii, potest ita disponere de illo, ut remittat iniuriam factam contra illum: ergo propter eandem rationem formalem dominij, quod habet circa honorem creaturæ, poterit ita disponere de honore earum, ut possit remittere per condonationem extrinsecam illam iniuriam creaturarum, quæ macula peccati dicitur ab aduersariis.

Explicatur, quia superior ordinis, aut religionis potest remittere iniuriam factam religioso talis religionis, aut ordinis propter dominium, quod habet religio circa talem subditi honorem, & Dominus ita potest disponere de bonis propriis serui, aut mancipij, ut possit remittere debitum alicuius debitoris, quod est in ordine ad tale mancipium, seu seruum propter rationem dominij, quod habet circa illud; sed deus perfectus dominium habet creaturam intellectuales, & circa honorem illius, quam religio supra religiosos, & Dominus circa mancipij bona: ergo a fortiori poterit remittere noementum, & iniuriam factam contra illam per condonationem extrinsecam.

Secundo contra sic argumentor cum Patre Suar. 258 & dico falsam esse primam consequentiam illius solutionis: nam licet in peccato sit malitia conuersionis, & auersionis, nihilominus transacto actu peccati, non censetur manere in homine peccatum, prout habet rationem culpæ, nisi quatenus homo ratione iniuriæ Deo factæ illi manet iniustus, & dignus odio eius, quando deus illam non remittit, ratione autem malitiæ conuersionis solum manet obligatus ad pœnam, ita ut si fingamus casum in argumento propositum, quod peccatum factum contra rationem non auertat à Deo, nec sit illi iniuriolum tale peccatum, postquam transfret actus eius, non relinqueret in homine, nisi obligationem ad pœnam sentis, nec redderet illum dignum odij, sed solum vindictæ. Hoc in primis colligo ex doctrina D. Thomæ variis in locis; nam 2.2. q. 20. art. 3. ait, [quod si posset esse conuersio ad bonum commutabile sine auersione à Deo, quamvis esset inordinata, non esset peccatum mortale,] quod etiam repetit in quad. ibero 5. art. 2. & aliis locis: at vero peccatum veniale ut ipsemet Sanctus docet 1. 2. q. 89. art. 1. non relinquit propriam maculam in anima, quod si aliquam imperfectam maculam relinquit, solum est quatenus aliquomodo imperfecto est aliqualis iniuria, & offensio Dei: ergo data illa hypothese, quod peccatum nullo modo esset offensio, seu iniuria Dei, nullam maculam relinqueret, ac proinde transacto actu, non maneret propria culpa habitualis, sed solum pœna reatus: ergo etiam nunc tota ratio habitualis peccati, ut est culpa, consistit in iniuria Dei, quæ moraliter manet, quæ remissa omnino tollitur ratio culpæ, & homo definit esse in peccato, etiam si possit

Quæst. II. In quo consistat actus liber Dei. 339

possit manere reatus poenæ temporalis propter conversionem; unde idem D. Thomas in 4. quæstione 18. articulo secundo, quæstione tertio, sic inquit: [in peccato duo sunt, scilicet conversio ad commutabile bonum, & aversio ab incommutabili bono, & secundum hoc duo sunt effectus peccati: unus est indignatio Dei ad nos aversioni peccati respondens; alius est poenæ inordinatam conversionem ordinans.] Ergo ex mente D. Thomæ seclusa aversione à Deo, peccatum non facit hominem dignum alia indignatione, vel odio, sed solo reatu poenæ.

259 Ratione præterea probatur primo, quia fieri nullo modo potest, nec intelligi, quod remissa tota iniuria Dei, maneat in homine aliquid culpæ: ergo signum est, totam rationem culpæ habitualis in iniuria Dei positam esse: si ergo potest Deus per extrinsecam condonationem propriam iniuriam remittere, per illam etiam potest peccatum quoad culpam omnino delere secundo, quia aliàs sequitur, non totum id, quod in peccato habituali habet rationem culpæ tolli per remissionem Dei, sed aliqua ex parte tolli formaliter, & efficaciter per actum hominis, non solum supernaturalem, sed etiam naturalem; sed per illum detestetur prius peccatum propterea est contra rationem, seu contra naturam rationalem, consequens autem admitti non potest, tum quia Scriptura soli Deo tribuit perfectam, & integram peccati remissionem; tum etiam quia ostensum est, actum, hominis non esse causam formalem remissionis peccati, neque integre, neque ex parte; quod longe certius est de naturali detestatione præcedentis peccati.

260 Denique declaratur ratio diversitatis inter peccatum ut est offensa Dei, vel ut est solum malum in proprio genere; nam esse iniuriosum Dei inducit quandam obligationem satisfaciendi illi, & quamdiu illa obligatio manet, censetur iniuria moraliter perseverare, & reddere hominem in visum Deo & odio dignum; at vero peccatum, ut solum est contra propriam rationem, seu rationalem naturam, licet dum fit, sit deformitas quædam ipsius naturæ, postquam vero transijt, non relinquit aliquam obligationem, nisi ad poenam; neque etiam est necessarium, ut voluntas maneat conversa, vel speciali modo coniuncta ad obiectum, circa quod peccavit; quia fieri potest ut peccatum nullum habitum, vel dispositionem positivam in voluntate relinquat, vel licet relinquat, illam non habet rationem peccati, & præterea auferri potest ab homine sine actione eius per solam condonationem.

261 Neque etiam illa prior deordinatio peccati manet vere, & proprie voluntaria de præsentis quando per contrarium actum non refutatur, sed solum manet denominatio de præterito, quod fuerit voluntaria, quæ satis est ut de præsentis sit peccator dignus poenâ propter illam voluntatem, non tamen est satis, ut dicatur de præsentis velle, quod antea voluit, nec actualiter, nec virtualiter, quia non est proprium virtuale voluntarium sine aliqua consideratione, & voluntate actuali, quæ virtualiter aliam contineat: igitur eo ipso quod omnino cessat quis ab actuali peccato, incipit ipsi peccatum esse non voluntarium, esto non possit dici in voluntarium, donec per contrarium actum refutetur, vel displiceat aliquo modo.

262 Quod si quis contendat manere voluntarium vel habitualiter, vel secundum quandam moralem durationem, seu permanentiâ. Respondeo, permanentiâ habituale seclusa omni reali qualitate, seu dispositi-

tione, nihil esse, nisi denominationem à præterito actu, qui voluntarius fuit. Moralisaute[m] permanentiâ tantum esse potest secundum quandam imputationem quæ tantum durat moraliter vel ratione iniuriæ, cui est coniuncta, tanquam accessorium principali, vel propter reatum poenæ, cui homo manet obnoxius propter priorem culpam actualem. Tamen quia & Deus potest iniuriam suam condonare, & multo facilius poenam remittere, & consequenter non solum non inferre poenam, sed etiam tollere obligationem, & dignitatem illius, tanquam superius dispensator, & iudex ideo potest voluntate sua omnino tollere culpam, quacunque ratione spectatam non exigendo ab homine actum, quo facta sit in voluntaria, sed spectando solum, ut iam non sit voluntaria quod per solam cessationem ab actuali peccato sine aliquo actu positivo contrario esse potest.

Dices; esse in peccato nihil aliud est, quam 263 peccasse & peccatum non retractasse; sed ex his duobus primum non potest auferri, quia ad præteritum non est potentia: ergo sine secundo, id est sine retractatione peccati, vel formali, vel virtuali, vel saltem eminenti, qualis est in infusione gratiæ non potest auferri à peccatore status peccati, seu esse in peccatore ergo sine mutatione physica non potest ille status auferri.

Respondeo, negando Maiorem quoad secundam partem, ut patet ex dictis in probatione nostræ conclusionis.

Iterum obijcies, esse in peccato includit relationem fundatam in actu præterito: ergo non potest auferri, nisi ablato fundamento, sed illud fundamentum in se auferri non potest: quia fieri non potest, quin actus ille fuerit præteritus: ergo necesse est auferri ponendo fundamentum ali-quod contrarium illi quod non est, nisi retractatio illius actus, quæ retractatio fieri ab homine, vel in homine sine illius physica mutatione non potest.

Ad hanc objectionem respondeo, peccatum habituale consistere in iniuria Dei moraliter existente, & relicta ex peccato præterito, & hæc vocatur ab aliquibus relatio moralis, ab aliis absolutum morale; cum autem iniuria possit tolli sine eo quod sit necessarius actus peccatoris per potentiam Dei absolutam, ut iam dixi; inde est quod ad tollendum peccatum habituale, non sit necessarius actus peccatoris.

Tertio obijcies, quia peccatum remitti non 266 potest, nisi destructo voluntario, quod in peccato essentialiter includitur; voluntarium vero destrui non potest, nisi per motum eiusdem voluntatis contrarium retractantem aversionem peccati à Deo, quid retractatio aversionis à Deo est voluntaria destructio illius, quod voluntarie commissum est; sed non potest destrui per voluntariam aversionem per retractationem quin detur mutatio physica ergo: necessaria est illa: minor hæc sic probatur; quia retractatio hæc voluntaria est per actum physicum existentem in voluntate, & de novo ab ipsa in seipsa productum; sed per talem actum physicum de novo productum aliter se habet physice peccator in voluntate quam antea: ergo mutatur physice per retractationem ipsius peccati.

Ad hanc objectionem patet ex supradictis in 267 sine primæ probationis nostræ conclusionis; ibi enim destruximus, ac oppugnauimus illud voluntarium quod actu esse constringitur ab aduersariis in peccato habituali relicto ex præterito peccato actuali.

268 Sed obiicies tandem cum Patre Vasquez, quia macula peccati non potest tolli per solam condonationem extrinsecam, sed necessaria est mutatio entriseca in peccatore; atqui macula peccati constituit essentialiter ipsum peccatum habituale formaliter sumptum: ergo peccatum habituale formaliter non potest tolli per solam extrinsecam condonationem sine physica, & intrinseca peccatoris mutatione.

Minor, in qua est difficultas, sic probatur, quia aut homo praterita iam actione peccati, semel commissi, manet maculatus, iniustus, & dignus æterna pœna ex natura peccati, & actionis praterite, semel commissæ, aut ex sola lege, & voluntate Dei imputantis peccatum; dici autem non potest hominem ita manere ex voluntate libera, & statuto Dei imputantis peccatum: ergo manet ita ex natura ipsiusmet peccati semel commissi. Porro autem hominē ita manere non posse ex statuto, & voluntate libera Dei, patet primo quia non ideo homo turgis, & maculatus, & dignus manet æterno supplicio post peccatum; quia Deus vult ita ipsum manere, sed quia ipse peccavit; nam quamvis Deus nihil circa hoc statuisset, homo qui semel peccavit, mortaliter vere diceretur turpis apud Deum, & dignus æterno supplicio. Adde vix intelligi, nec dum explicari posse, quæ sit imputatio hæc ex parte Dei, qua homo constituitur peccator, alias Deus esset auctor peccati, quia ille est auctor formæ qui est auctor constituens concretum per talem formam: sed Deus per suam imputationem constitueret hominem peccatorem: ergo esset auctor peccati, quod est forma talis constitutionis. Secundo, quia non pendet ex libera voluntate Dei ut homo maneat dignus æterna pœna, aut temporali tantum alioquin nullum peccatum suapte natura esset dignum æterna pœna, aut temporali, ac proinde nullum esset suapte natura mortale, aut veniale, quod est hæreticorum dogma: ergo non pendet ex Dei voluntate, ut homo post peccatum maneat dignus pœnæ; nam si ex voluntate Dei penderet dignitas pœnæ, penderet etiam dignitas tantæ, aut tantæ, maioris, aut minoris pœnæ quod est absurdum, cum igitur dignitas pœnæ consequatur maculam relictam ex peccato actionis, aut si velis, sit ipsa macula relictæ ex peccato, efficitur etiam ipsam maculam statum peccati, & dignitatem pœnæ non manere in homine ex voluntate Dei imputantis actionem prateritam peccati, sed ex natura ipsius actionis ita lædētis hominem, & maculantis.

269 Respondeo huic obiectioni, negando maiorem, ad eius probationem dico, manere ex vi prateriti peccati peccatorem moraliter maculatum, iniustum, & odio dignum, non ex mera voluntate Dei, sed ex natura ipsius peccati, ad id autem quod interrogat Pater Vasquez §. Hinc autem: utrum scilicet Deus remittat peccatum solum remittendo pœnam, aut lapsu temporis, dico remittere maculam peccati remittendo iniuriam, in qua consistit macula, ut supra dictum est; unde ratio formalis destructionis peccati est actus liber Dei, quo vult remittere iniuriam sibi debitam in quo nulla difficultas est, neque ad hoc requiritur mutatio physica in homine, sed solum moralis quia iniuria, quæ remittitur moralis est, ut patet ex supra dictis, unde non tollitur peccatum ex eo solum quod tempus labatur, quia lapsus temporis non est ratio formalis remittendi iniuriam, solum enim necessarium est tempus tanquam duratio, in qua remittitur, nam cum omnia entia

creata sublunaria sint in aliqua duratione temporis, inde est, quod quæcunque mutatio facta in tali creatura, debeat fieri in aliqua duratione temporis, & cum hæc mutatio per quam transit de peccatore ad esse non peccatoris, sit mutatio in creatura, necesse est ut fiat in aliqua differentia, vel duratione temporis, quæ sufficit esse instantanea, quia tota fit simul à Deo, unde immediate post destructionem peccati actualis potest Deus remittere iniuriam, & destruere maculam peccati.

SUBSECTIO XIV.

Amplius supradicta efficaciter arguntur.

Quia Deus efficacissime vult non producere 270 re illis existentiam à parte rei; atqui ex vi talis volitionis efficacis nulla mutatio intrinseca facta est in creaturis possibilibus, neque illis aliquid intrinsecum tributum est per talem volitionem liberam, imo potius ex vi illius vult nihil illis intrinsecum tribuere, quia vult non tribuere illis existentiam: ergo bene potest dari actus efficax liber Dei circa aliquod obiectum quin ponat aliquid physicum in illo.

Quod autem nihil ponat patet, quia vel id, quod 271 ponit, aut est positum, aut negatum, non positum, quia non est existentia, & ante existentiam nihil positum potest creatura possibilis recipere à Deo, existentia enim est fundamentum primum cuiuscunque formalitatis positivæ ponendæ in creatura, imo etiam Deus vult nihil positum ponere in illis, sicut vult existentiam non tribuere ipsis, neque est negatum per modum puræ negationis existentie, quia adhuc supposito tali decreto creatura possibilis manet in esse possibilis; unde non destruitur in esse talis: ergo adhuc manet capax existentie, quare Deus reflexe cognoscit, nolle se dare existentiam possibilibus, etiam si ex se sintabilia, & capacia existentie, quatenus distinguuntur ab impossibilibus, quibus omnino repugnat existentia, ac proinde sunt incapacia omnino existentie; atqui ut destruitur negatio alicuius formalitatis, debet dari in subiecto illius incapacitas ad illam, in quo distinguitur pura negatio à privatione: ergo si in creaturis possibilibus non datur repugnantia ad existendum, non dabitur incapacitas ad illud, ac proinde post decretum non dabitur negatio pura existentie. Item neque ponitur ex vi talis decreti privatio existentie, quia creatura possibilis ex se, & quatenus per modum obiecti antecedit decretum, habet privationem existentie in quo distinguitur à creatura existente, quæ non caret privatione existentie: ergo non ponitur talis privatio ex vi decreti Dei, quia in eodem subiecto non datur duplex privatio eiusdem formalitatis, cum una sufficiat, frustra enim sunt per plura, quæ possunt fieri per pauciora, præcipue quia de novo non ponitur privatio, nisi destruendo formam oppositam, sed Deus ex vi talis decreti non destruxit existentiam in creaturis possibilibus, quas destruxit existentiam, quam destrueret Deus ex se haberent existentiam, quam destrueret Deus per decretum, quod est falsum.

Deinde, quia ipsi adueriarij asserunt non posse 272 Deum introducere negationem, aut privationem primario, sed secundo in aliquo subiecto